


Handwritten text on the spine, including the word "MARE" and "CIVIL".


Library label with the letter "B", the number "7", and the date "1713".




Ordn.

D. o. 109. a.





98206



2
APOLOGIA

PRO

M. ACCIO PLAUTO:

ET

CENSURA

CAVILLI HORATIANI.

*Opposita scevo Judicio Illustris
& incomparabilis Viri*

D. DANIELIS HEINSII

in Dissertatione de PLAUTO,
& TERENCE.

Authore

BENEDICTO FLORETTO:

*In Progymnasmatibus Poëticis: Italice e-
ditis Florentia, & in Linguam
Latinam translatis*

à

JANO PANELIO
Middelburgensi.



ANNO

M. DC. XLVII.

JANUS PANEIUS

Lectori Salutem.

CUM hac APOLOGIA UDENI NISIETTI, sive BENEDICTI FLORETTI utiliter conjungi poterit FRANCISCI FLORIDI SABINI eruditissima APOLOGIA pro M. ACCIO PLAUTO, & aliis poetis: in qua fortissimis argumentis calumnias illorum retundit, qui Decimam illam MUSAM tam alto supercilio solent adspernari. Prostat illa Francofurti in Officinâ librariâ Johannis Pressij: annexa Observationibus singularibus in linguam Latinam Oberti Gifanij.

EPIGRAMMA

*Cujusdam Viri docti, oppositum
CAVILLO HORATIANO.*

ROMVLIDVM proavi PLAVTINOS
& numeros, &

*Laudavere sales. Nimiùm petulanter utrumque,
Ne dicam stolidè, damnat Venusinus, acerbâ
Bile tumens, præferri alios, post terga relicto
Sese: Quem proavi, & patres mirantur, a vique,
Illum suspendant naso perulante nepotes?*

3
APOLOGIA

Pro

M. ACCIO PLAUTO Sarsinate:

ET

CENSURA

CAVILLI HORATIANI.

Opposita scævo iudicio Illustris &
incomparabilis Viri

DANIELIS HEINSII,

In Dissertatione de PLAVTO, &
TERENTIO.



E M. ACCIO PLAUTO
Sarsinate, & P. TEREN-
TIO Afro crebræ ac perpe-
tuæ semper exortæ fuerunt
concertationes. Nuper ad

in Bataviâ ex improvîso in Circum Criti-
cum prodiit Vir Illustris & incomparabilis
DANIEL HEINSIUS, eandem litem
suam faciens. Is enim de verbis illis Hora-
tij in Arte Poëticâ vers. 270.

*At nostri proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere sales. nimum patienter utrumq;
Ne dicam stultè, mirati.*

ita pronunciat: *Durum equidem iudicium,*

a 2

&

& quod non nemo (iminò prorsùs nemo) de
 leporum omnium parente excidisse nollet Poëta-
 rum omnium vaferrimo: cuius tamen verne
 melius de PLAVTO judicare poterant, quàm
 qui hodie familiam in litteris duunt. Sed neq;
 seculi sui iudicia ignorare potuit homo (Hora-
 tius) homo Principibus familiarior, quàm plebi.
 Qui cùm tanti fabellas Terentij fecerit, ut inte-
 gras ex iis locutiones propemodùm descripsit,
 ubique accommodet, soli illi artem tribuat, ho-
 minis arrogantis potiùs quàm eruditi foret, ita
 dissentire à tanto viro, ut ne causam quidem ce-
 gnoscendam sibi existimaret.

Quo tamen sublesto iudicio suo D.
 Heinsius nihil prorsùs probat, nedum ut
 aliquid certi concludat. Veritas namque
 meliorum rationum omnia solidissimè
 confirmat. Scilicet Populus Romanus
 melius quàm nos de loquutione PLAU-
 TINA & TARENTIANA judicare poterat;
 quippe cùm tunc ætatis ejusmodi lingua
 Romana penes illam gentem vernacula,
 & pura foret. Quantum ad iudicium Cri-
 ticum (quia Ars ab omnium ævo sibi sem-
 per similis fuit, nec magis tempore Ro-
 mano-

M. ACCIO PLAUTO. §

manorum, quàm nostro Ars fuit, ac mansis) non minus dextrè hujus sæculi viri docti de Comœdiâ judicare poterunt, quàm olim viri eruditi illorum temporum. Nec quicquam apud me valet auctoritas Horatij, ab Arte exorbitans.

Pergit porrò D. Heinsius: Nos, inquit: profectò ita PLAVTVM amamus, ut è manibus rarò deponendum putemus. * Ridiculi segetem largissimam Aristophanes suppeditat quâ non modò PLAVTVM, sed quoscunque alios in hac arte superavit, & plenissimè omnes ridiculâ figuras expressit. Aristophanes PLAVTUM superat in factis & dictis turpissimis, naïve abundis, obscœnis, & nihili. In quâ victoriâ multò inferior victo exstabit victor. Denique ut acetum nisi vinum corruptum sit, bonum esse nequit. Hic substantiæ qualitatem ante quidditatem attribuit Heinsius: quia acetum non modò bonum esse potest, nisi vinum sit corruptum, sed acetum non est: quia acetum aliud nihil est, quàm vinum corruptum & mortuum. Legat hac de re D. Heinsium Bonamicum de alimento li. 3. cap. 7. & 14. Galen. de simpl.

6 A P O L O G I A P R O
medic. lib. I. c. 17. & l. 4. c. 3. & Thom. in
Metaph. l. 4. text. 4. Ita quæ sincera sunt, &
vera, risum excitare non possunt. Appositè
Quintilianus inquit: Omnis falsa ridendi ratio
in eo est, ut aliter, quàm est rectum verumque di-
catur. Quare sermo ad risum composuit pugnat
cum oratione rectâ, quam Politicam Magistrè
vocant: cujus sunt virtutes, Perspicuitas, equi-
tas, simplicitas, veritas. Quâ in parte Dii potius,
quàm homines Menander apud Græcos, apud
Latinos Terentius fuerunt: qui ut sapientibus
voluptatem potius afferrent, quàm risum plebi
violenter excuterent, duplici jucunditate utili-
tatem condierunt imitatione vitæ humane, &
immutabili lepore. Oblitus fuit D. Hein-
sius, Comœdiam pro objecto suo proprio
spectare & habere Populum, non Ma-
gnates, Idiotas, non sapientes, qui volu-
ptatem & fructum haurire debent ex ope-
ribus congruis merito ipsorû, non alienis
à virtute: quod faciunt Comœdiæ. Irra-
tionalis igitur, & stupida fuerit hæc illatio:
ut sapientibus voluptatem. Idem prosequi-
tur his verbis: Quam Comœdiam Aristoteles
non viderat, sed animo concipiebat. Animam
hinc Aristoteles in corpore habet, tam te-
mere

mere affirmando, quomodo Aristoteles
 non viderit oculo, sed animo imaginatus
 fuerit Comœdiam Latinam & novam.
 At quomodo quæso Aristoteles non no-
 verit, aut non viderit Comœdiam novam?
 cum ejus mentionem & judicium de il-
 lâ faciat in Ethicis lib. 4. cap. 8. Aristoteles
 & Plato, si intellexissent verustam Comœ-
 diam imperfectam fuisse, ob imitatio-
 nem personarum, ob condimentum jo-
 corum, ob auscultationem plebeam spe-
 ctatorum (uti probè intellexerunt, atque
 ideò multos Poeticos errores correxe-
 runt) profectò consideratione & censu-
 râ suâ notassent inter cætera reprobatio-
 nem risûs, ab Heinsio improbatî: cum
 tamen Aristoteles in Poeticâ, & Plato in
 personâ Aristophanis in convivio, & ad-
 huc libro septimo Legum illum in fabulis
 Comicis summoperè approbent. *Novæ
 Comœdiæ unicum propositum*, inquit Hein-
 sius, *humanos nosse, atque imitari mores.* Quò
 respexit D. Hieronymus, ad Furiam scri-
 bens: *Cum etiam Comicus, cujus finis est he-
 manos mores nosse, atque describere, dixerit: f-*

ne Cerere, & Libero friget Venus. Ne confundamus quæso terminos. Cognoscere humanos mores est observatio intellectus. Describere eos, & imitari, est actus practicus Artis. Finis postea est, emendatio eorundem morum: qui finis deinceps in subjectum evadit per imitationem, & inducit rationem boni per ridiculum. Sed quomodo potest hoc propositum, & hic finis esse proprius & specificus Comico, cum in omni Poeticâ imitativâ prædicta cognitio & imitatio æquè necessaria & communis requiratur & discernatur? *Nbn: omnes PLAVTI Comædiæ tantam ridenti subministrant materiam, quantam una aliqua Aristophanis: ait Heinsius. Incidentrix ridiculæ PLAVTI plus satis habent, frequentiores, civiliores, & artificio planiores sunt, quàm Aristophanis: qui non digressiones modò arripit, sed subjecta integra, auribus abominabilia, urbanitati contraria, frigida, insipida, & trivialia, ac Luscio Lavinio quodam potius digna, quàm eminenti Comico: immò digna potius, quæ in prostibulo & latrinâ, quam*
 quæ

quæ in publico, & spectabili Theatro
 recitentur. Multò plus valet Aulularia
 PLAUTI ob varietatem & artificium,
 quàm omnes quasi fabule Aristophanis.
 PLAVTVS dum ridiculus videri vult, inquit
 Heinsius, *fit frigidus & odiosus: quod iudicium
 non est nostrum, sed Horatij & Donati: quorum
 uterque suo tempore Princeps Criticorum fuit,
 uterque naris benè emuncta.* Quidam seculi
 nostri Critici non solùm æquales, sed di-
 cam Magistri illorum duorum in arte
 Censoriâ, ob variam, multam, & subli-
 mem doctrinam, iudicium Horatij, alio-
 rumque Plautomastigum rationibus for-
 tissimis neque irrationabilibus Chimæris
 impugnarunt. Non satis est, censurâ ali-
 quid notare, & arrodere: in censurâ rectâ
 uti ratione, id demùm artis est. PLAV-
 TVS in *dictæis ita veterem Comœdiam, ait
 Heinsius ut ad eam saepe deflectat, & quod pro-
 prium in illâ erat ἐτεωρῶμεν & expresso nomi-
 ne, an circumscribendo, non vitam sed hominem
 aliquem perstringat. Ut in illo. Mil. 2. 2. v. 56,*

Nam os columnatum Poëtæ inesse au-
 divi barbaro,

a s

Cui

Cui bini custodes semper totis horis
accubant.

Hic, dicit Heinſius, crudeliter Nævium
Poëtam excipit, & ejus miſeriam ridet. Ridi-
culum autem à miſeriâ Ariſtoteles prudenter ſe-
jungit. Riſus enim cum atroci alicujus calami-
tate conjunctus fit immanis & barbarus. R E-
S P O N D E O: diverſa eſſe & ambigua
Interpretum & Criticorū ſuper hiſ verbis
ſuffragia: quantum ſcilicet ad variam le-
ctionem textūs, & ſcopum ſenſūs, ut &
perſonæ relationem attinet. Unde fit, ut
malè condemnet Heinſius, quæ Poeta
non fatetur, In caſſum igitur Philoſophi
auxilium arceſſit, nec videt Comœdiam
ſeveritati Ethicæ non eſſe ſubjectam. Tum
etiam meminiffe debebat, quàm malignus
ſæpe & vituperabilis ipſius familiaris Ari-
ſtophanes ſit, dum cantilenis, & titivillitio
involvitur excellentiſſimos Oratores &
Poetas: adeò ut ne Diis ipſis parcat: cum
P L A U T U S Nævium per ænigma carpat,
qui ob errores ſuos, tamquam reus inju-
riæ in carcere erat. Pergit Heinſius ac
P L A U T U M noſtrum in facetiis Comico
ſuo

M. ACCIO PLAUTO. II

suo Græco multis parasangis inferiorem esse clamat. Nam quis, inquit, risu non emoritur, cum vino sitatem Cratini ludificatur in Pace?

P. Sapiens autem Cratinus quid agit? Tr.

Obijt,

Cum Lacones huc irruerent. P. Quo morbo?

Tr. Quo?

Miserè pallere coepit (ferre enim hoc non potuit)

Frangi cum videret vino plenum dolium. conceptus est ridiculus: sed jejune explicatus. Notate alterum illud simile inventum, amplificatum & graphicè depictum à Plauto in Curcul. 1. 2. v. 3. Paucos è multis compendij gratiâ versus hîc referam: ubi anus lena vinum sic alloquitur.

Salve anime mi,

Omniium unguentium odor præ tuo nausea est.

Vbi tu profusus, ibi ego me per velim sepultam.

Vindemia hæc huic anni non satis est soli.

Salve. Ego salva sim? quæ siti sicca sum.

Age, effunde hoc citò barathrum, prolue cloacam.

(hodie.)

Ecce autem bibit arcus. Placet credo hercle

a 6

Vi-

*Vineam pro aureâ statua, qua tuo gultu rific
monumentum.*

Facetia plena artificij & risus in Parasito Gelasimo (Stich. 2. 1.) semper fameli co laudari nunquam satis potest. Equivo- ratio hominum similibus, avaritia senicu- li, jactantia Thrasonis, adulatoria, & gu- lo sa natura Parasiti, qualitates humano- rum affectuum, pathetica non minus ob- imitationem, quàm Comici ob jucundi- tatem virtutes sunt in P L A U T O frequen- tissimæ, ac prorsus inimitabiles. Sed in Aristophane valdè raræ, feriales, frigida, stomachosæ, nefandæ. Felix ergo Plau- tus, qui non Aristophanizat! Infelix A- ristophanes, qui non Plautizat! Aristo- phanes in Pluto Dialogo Carionis & Mercurij, docet negare providentiam Dei, & contemnere Religionem. Hic Mercurius infra bajulum vilipenditur. In Equitibus stultissimæ inventionis Poeta vilissimum vappam facit gubernatorem Populi Atheniensis. Quodnam regimen expectari poterat ab homine, nobilitatis, experientia, judicij, & omnis disciplinae experto?

M. ACCIO PLVUTO. 13

experto? Sic quoque in Nubibus, dum mille modis Socratem infamar, fabulam populi illum prostituendo, & Scholam ejus incendendo, gentem docet esse homines justos, sapientes & utiles conculcare & prosequi. In Ranis quàm irreverenter in Deos suos insurgit? quantus irrifor est primorum Græciæ suæ Tragicorum? quàm ineptus & stolidus est, dum Æschylum Euripidi præponit? Quàm Atheus in Religione, barbarus in moribus, insensatus in Criticâ? In Vespis, quàm infan-tilis, parùm verisimilis, & frivola apparet illa hominum metamorphosis in Vespas & Cates? Quis hinc fructus ex actione principali percipitur? Si repererascere faciunt senes viros graves, & senectutem ludibrio exponi? Cùm quis ætatem decrepitam attigerit, quodnam consilium moderandarum suarum vacillationum capiet, si puellascendi defectus irrepabiliter à natura procedit? Quid de ipsius aucupio, & avibus dicam, cùm ipse restet homo nequam? Homines in aves transformare, loqui, aut linguâ humanâ, aut

voce illorum animalium, hoc verò est prudentiam Politicam in cerebrum avicularum transmittere. Calandrinus aliquis plus inventionis & discursus habuisset. In Pace Agricola introducitur scarabæo insidens, atque in cœlum evolans, ut Pacem conveniat, cum digressionibus suis consuetis circa res vomitorias, putidas & inhonestas. Fingit Poeta illam fabulam Scarabæi in cœlum evolantis ad imitationem Apologi Æsopici, parùm providè: quia plerumque Apologi æstimantur agere de rebus impossibilibus: sicut & infantes dicunt in fabulâ esse vanitatem omni fide majorem. Adde quòd apud Æsopum Scarabæus se portat solum: sed hic Pominem bajulat, & fulminis instar omnes cœlos transcurrit. Atqui debuisset quoque fieri animal inusitatae magnitudinis. Pax, in quâ omnis fabula consistit, ne verbum, quidem ullum facit. In Concionantibus nil quicquam discernitur, neque auditur, nisi opera & vocabula vix tolerabilia in abjectissimo totius mundi prostibulo. Hic foeninx cum vestibus, & barbis

sup-

supposititiis de nocte publicos congregatus, & quasi Parliamentaria quædam instituant. Scilicet ibi consultatio fit de regimine civitatis fœminis committendo. Quæ quidem fatuitas in Scenâ produci-
tur cum repræsentatione actuum impudicorum, & stolidissimorum. Fortassis an Poeta fœminis Atheniensibus pudorem incutere voluit quia illis temporibus fuerint impudicæ nimis & petulantes, atque domi in ædibus præsumtuosæ atque imperiosæ. Demus Poetæ hanc excusationem, atque calculo nostro approbemus tale subjectum: Oeconomia tamen parum verisimilis est, quin & deprævatio honestatis & civilitatis (unde mores in summam dissolutionem & veluti brutalitatem aliquam degenerant) ex quaquam arte, ex quâ consuetudine exsculpi possit? in Civitate dico omnium disciplinarum refertissimâ Academia? Omnia prædicta Poeticæ & Ethicæ monstra æquè ac forte magis prodigiosa sunt in Comœdiâ Lysistratâ. In fabula Cerealis celebrant. plurima loca, ab omni artificio Comico alienissima,

16 APOLOGIA PRO

nissima, contra item jocorum & face-
tiarum voluptatem inserta sunt. Omnis
materia in omnibus partibus ad miracu-
lum usque Comica est, variis & jucundis
casibus implexa, atque in unum corpus sa-
tis accurate disposita. Omitto detestatio-
nem sibi familiarissimæ spurcitiei, & vix
nominandæ petulantiaë. Intueatur mi-
hi aliquis prodigiosum illum anacronis-
mum in introductione Menelai cum
Helena, & Perfei cum Andromedâ: in
quorum personis vertitur dissolutio, &
quasi basis ponitur totius illius compo-
sitionis, adeò ut falsa, & impossibilis appa-
reat (quoad tempus & locum) præsentia,
immò & actio ejusmodi personarum, in
terram quasi cadit omnis illa dramatica
compositio. Iccircò fides rei extingui-
tur, & cum illâ oblectamentum, & cum
hoc tandem utilitas omnis: si quidem
hinc ulla capi potest, cum offendatur &
persecutionem patiatur excellentissimus
Poeta per hanc indirectam passionem:
quòd in suis Comædiis perversos mo-
res foeminarum repræsentet. Non est

inju-

injustus aut mendax insectator malarum
 foeminarum. Injustè igitur illa damna pati-
 tur, quibus per promissa sua liberatur, cùm
 dicat, se non scripturum id, quod ex legib.
 artis, & ex merito fœminarum scribere de-
 bebat. Quid indè lucri ergò lectori acce-
 det? Certè exemplū & consiliū adulādi,
 malitiam, & supprimendi veritatem, In A-
 carnensibus Tragico Comœdia nobis re-
 præsentatur acū ibi sit cōfusio rerū partim
 horribilium, partim ridicularum. Hic sæpè
 personæ graves sycophāticè de rebus gra-
 vibus fabulantur: adeò ut eodem tempore
 Scena Theatrum sit Comicoꝝ, & forū
 Scurrarum. Præterea quis non præstigia-
 tor cerebri adeò stolidi aut inventionis
 adeò instipidæ fuerit, ut spectatoribus hęc
 nihil verisimilitudinis habentem mon-
 struositatem proponat, & binas puellas in
 formâ binorum porcorū vestiāt, pro tali-
 bus bestiis vèdat, in sacco teneat, grunnire
 eas, & simul humanas voces intelligere,
 & omne genus ciborum edere faciat, cū
 aliis absurdis, quæ ipsa bruta animantia
 facilè animadvertant, & pro enomi-
 bus

bus factis derideam. Hujus farinae sunt:

*Cervam videre, fugere, sectaricane, &
eum plorare, orare, ut subveniat sibi.*

Taceo maledicam illius insolentiam contra Euripidem, celeberrimum Tragicum. Ergo doctorum & justorum virorum derisor, Maranus inurbanitatis & impudicitiae, Atheista Religionis, Chaos Artis Comicae: qualis illa Nephelococcygia est, inebriare cerebrum sapientium debet, ac facere, ut in ejus laudibus delirent? Sit accusationum mearum Plutarchus, gravissimus Author, qui in consultatione sua de Aristophane & Menandro multorum & turpissimorum errorum incusat Aristophanem. Resipiscat ergo Horatius, Plauti Calumniator, corrigat se ipse Heinsius: Horatij adulator, hyperbolicus laudator Aristophanis! Vide hominis impotentiam! Plautus in Tragico-Comico Amphitryone, more Tragicorum fabulam accepit, & disposuit: sed nomina retinuit ex parte, quod non solet fieri in Comedia. In veteri Comedia apud Aristophanem, & alios Comicos ab Athenæo allegatos saepius nomina propria,

pria, & ab antiquis Poëtis usurpata retinentur. Comœdiæ novæ eadem licentia detur oportet: nisi forte efficax aliqua ratio obstat, contradicente quamvis Aristotele, qui tamen leges Poeticas ferre nullas potest, nisi in arte, ratione, aut usu sint fundatæ, qui est inviolabilis. In *Amphitruone*, ait Heinſius, *est divina δέσις sive nodus. Mirâ enim ratione impeditur fabula, & intricatur actio: solutio autem benè succedere non potuit. Ergò infelix & oblitus sui ire cogitur ad Deum, & ἀπὸ μηχανῆς finire, quod est ultimum refugium Poetæ, cum τὴν δέσιν, hoc est, nodum, quem ligavit ipse solvere non potest, & rem parùm providè tractavit.* In Aristophane Heinſiano tales machinæ non modò leviter apparent, sed copiosè quasi adpluunt. Adeò ibi frequentes sunt in multis fabulis. Præterea si ejusmodi fabula est species Tragœdiæ, ac si in Tragœdiis, secundum Suidam in ἀπὸ μηχανῆς, locum habent ob causas justas: ergò in *Amphitruone* fabula semi-Tragicâ machina non erit inconveniens, quæ præfertim secum admirabile quid trahit, & cum veneratio-

ne

ne quadam conjunctum. Qui respectus hîc maximè necessarius erat ad proster-
nendum & humiliandum furorem Am-
phitruonis. Quamvis hîc persona Jovis
pro machinâ non sit, utpote intrinseca, &
sæpius introducta. Machina propriè refer-
tur ad personas in Comœdiâ extrinsecas,
& accessorias, quæ sunt, necessitate quadã
sunt acceptatæ, & quasi è coelo delapsæ ad
dissolvendum nodum per vim, quam Poe-
ta ingenio suo explicare non potuit. *Sum-
mus*, inquit Heinsius, *Aristoteli ambitus unius
Solis est: quâ in parte admirandi sunt So-
phocles, & Terentius. Plautus verò novem men-
ses uno dramate complexus est. Alcumena enim
concipit, & parit: quod pugnat cum ipsâ naturâ.
Hæc vitaverant Græci Poeta: & Technici vi-
tanda monuerant. Plautus susque deque habuit:
ut in Captivis. Quam incuriam Horatius cum
videret, continere se nō potuit, quin exclamaret.*

— Vos exemplaria Græca
Nocturnâ versate manu, versate diurnâ.
*Contra negligentiam Latinorum & incuriam
gravissimè taxaret.*

Aristoteli, Horatio, & Heinsio respon-
det

det nostrum Progymnasma CXXXII. in
 Tertio Volumine. Ubi contra prædictam
 præscriptionem temporis, & contra veri-
 similitudinem ipsius Naturæ audacissimi
 fuere transgressores, Æschylus, Euripides,
 Homerus, Virgilius, & ipse Terentius. Si
 primi Magistri artis sese non adstringunt
 ad hanc observationem, inutile & falsissi-
 mum erit documentum Horatij. Si Teren-
 tius hæc legem implevit, non opus igitur
 erat adeò generaliter in illam exclama-
 tionem prorumpere: *Vos exemplaria Gre-
 ca.* Deinde Aristophanes Heinsij in
 Pluto duos dies insumit. In Pace Trigeus
 in Cœlum evolat, postea in terram rever-
 titur. Hic & iter & spatium unius diei im-
 possibile est. Necessariò ergò oportet aut
 oculos ad ejusmodi errores occludere, aut
 prodigiis nefandis fidem adhibere, aut
 saltem ad abusum fabularum confugere.
 In Acarnensibus Amphiteus Athenis
 Spartam versùs tendit, atque inde quasi
 eodem momento Athenas revertitur. In
 Ranis etiam Bacchus ad inferos de-
 scendit, unde per varia loca transcurrit,
 &

& in variis successibus, ac longis negotiis per necessariam suppositionem diu commoratur. Hæc via ab abyſſo ad superficiem terræ (importans secundum quosdam Mathematicos 3436. millaria, quantum ad semidiametrum) in ejusmodi brevi transcursu temporali finiri non potest extra refugium Chimærarum fabulofarum. In Equitibus etiam tot ratiocinia, & rixæ, ac discursus, orationesque forenses aliæque rerum intricaciones interveniunt: immò & ipse populus multò diversim à suo statu primi regiminis Agoratici repræsentatur: adeò ut integræ septimanæ perficiendis tot actionibus vix sufficerent. Considerate quæſo in Avibus similiter peregrinationem itineris, glocitationem infinitam tot interlocutorum ædificationem Nephelococcygiæ, interventum elocutorium Deorum, famam publicam Civitatis Nephelococcygiæ, unde multi ad eam revertuntur, Judicate jam, annon ad tantos & longos casus annus potius Platonicus, quàm dies Comicus requiratur. In Concionantibus

bus

bus, in Celebrantibus festum Cereale, in
 Lysistratâ si quisquam cœco affectu mini-
 mē abreptus commodè negotia cum
 tempore quoad multipliciter eorum
 terminandam opus habet, collegerit,
 computate horas cœnarum, somni, & a-
 liarum ejusmodi necessitatum, sine du-
 bio elucescet, quomodo omnis Comœ-
 dia cū licentiosâ prævaricatione regulas
 sui intervalli diurni transgrediatur. Sed
 advertite quæso, quomodo Censor Bata-
 vicus in se ipse arma Censuræ suæ conver-
 tat: *Mercurius, ait, in Amphitruone & Jupiter*
Dij sunt: quibus omnia concedimus: quare in-
currere absurdum non possunt. Nam ibi Dij a-
gunt, cessat ratio humana. Ergo nox una
in tres noctes prolongata: conceptio &
nativitas eodem die, quamvis res sint Na-
turæ contrariæ, non tamen pro novitati-
bus impossibilibus damnari debent: quip-
pe quarum Dij, Naturâ superiores, au-
thores sunt: alioquin Metamorphoses
cum omni Poesi Vulcano tradendæ es-
sent, PLAUTUS cum Cursulionis Scenam
posuisset alibi, Epidauri nimum, Romam tran-

Sit

*sit in eâdem, & Romanorum mores Scena sua
oblitus, invehitur, & loca singula describit Actus
IV. Scena I Hac licentiâ, quæ aliquando
recitantes personâ histrionicâ exiit, &
populum alloquitur Aristophanes, pri-
mùm abusus est, etiam extra sua παραβαι-
σεις: quæ transfiguratio personalis nihil
differt à transportatione locali. Eam Iob
causam Aristophanes, talium vitiorum in-
ventor graviores pœnas PLAUTO luere
debet. Descendit postea in invectivam
prorsùs absurdam, quando Plautus in
Menæchmis Sosidem introducit, qui venires
è Siciliâ, & surreptum, qui in Macedoniâ habi-
taret, habitu eodem tempore ita simili fuisse, ut
dignosci non possent: cùm nihil simile ista gen-
tes haberent. Quod quidem vitium ne à Cho-
rago quidem emendari potest. Quantum ad
personam attinet, vidi ego Florentiæ duos
fratres, sibi adeò similes, ut sine diligen-
tissimâ & accuratissimâ intuitione alter ab
altero dignosci minimè potuerit. Quan-
tum ad loquelam, tres ego viros cognovi,
qui in regionibus exteris per multos an-
nos habitaverant, nec tamen quicquam
pro-*

pronunciationem, vel idioma vernaculum mutaverant. Quantum ad vestitum, solent se peregrinantes (ut sæpius observare est) continuò ad formam & normam ejus civitatis, ad quam appulerunt vestire: ne scilicet digito, tanquam peregrini, à spectantibus monstrentur. Vide te in quibus minutis occupetur Heinsius fallendi temporis causâ, modò ut lectori tedium pariat. Nos verò prolixitatem fugientes nonnihil hïc respirabimus.

PROGYMNASMA. XXIII.

PLAUTVS in liberratem vindicatur contra Cavillationes Heinsij & Horatij.

Renovat dehinc arma & incrementa bello dat Heinsius adversùs P L A U T U M. Ad dictionem, inquit, si venias, multa sunt in Plauto, quæ profectò extra scenam non stant, neque usum habent, nisi inter histriones & Theatri ambitu circumscribantur. Hïc & deinceps Heinsius demonstrat Theatralia, & à communi usu remota esse vocabula, conceptus, & sententias. Si PLAUTUS, Comicus cum sit, Comicè ratiocinatur, & linguâ Comœdiæ propriâ loquitur, perfe-

tē officium suum adimplet: propterea,
 quòd nullus scriptor, nisi formulas locu-
 tionis velit confundere, & terminos ar-
 tis, uti debet, stylo tam amplo & genera-
 li, ut omnes compositiones eius capaces
 esse possint: alioquin phrasis Virgiliana cū
 omnis generis scriptis applicari non pos-
 sit, quia propriè pertinet ad Epicum ge-
 nus carminis, laudem nullam merebitur.
 Quisnam verò scriptor unquam visus est,
 qui in vocibus, in conceptibus, in senten-
 tiis magis sit singularis, quàm Aristopha-
 nes? In illius Comædiis millenæ voces,
 nusquam alibi usurpatæ, in usum revoca-
 tæ reperiuntur: & tamen Heinsius de iis
 ne verbum quidem meminit, aut con-
 queritur. Extollit insuper multis laudibus
 stylum modernum & proprium Terentij.
 Dico ego, antiquitatem in PLAUTONON
 esse vitium suum, sed sæculi sui. Ele-
 gantia Terentiana adeò Latina est, ut nul-
 latenus sit Comica. Ideò nec salsa evadit,
 nec delectabilis, nec ubique personis con-
 gruens, aut apta, quas imitatur, id est, Co-
 micis: quæ ut plurimum sermone triviali

utuntur, ridiculo, & sæpe inusitato. Terentius autem sine ullo artificio unâ eadēque viâ usque incedit, eadem usque legens vestigia. Adeo scilicet superstitiosus est in hac suâ inopportunâ Latinitate. Subijcit adhuc, ut & in ἡρωϊκῶν: *Regnat iste Afer ad Antiquitatis stuporem usque. Rectè ergò Varro in Argumentis Cecilicis poscit palmam, in ethesin Terentius: in sermonibus PLAUTVS.* Hic Heinsius Terentium potiorē in Comœdiâ Plauto statuit, pro ut oratio morata, in quâ iste præpollet, simplici locutioni, in quâ hic præminet, præfertur. Postea affirmat hunc Varro- nis locum à nullo Criticorum benè intel- lectum fuisse. Id quod Varro casu præsu- mit, & id quod sibi Heinsius supra mo- dum assumit (non modò hic solùm, sed & alibi quoque) in disputationem tra- hitur & deciditur. Resumat discursum suum in hunc modum: *Orationem mora- tam demit Plauto Horatius, cum in- quit.*

— Adspice Plautus

b 2

Quo

Quo pacto partes tutetur amantis e-
phebi.

Videtur Charinum habuisse in animo, qui in Mer-
catore furiosum & amatorium morē confundit.
Furere autem præ amore non Comœdia est ve-
rūm Tragoedia, ut in Phadrâ videmus. Quare?
Quia talis aliquod immane expectatur, quod
Tragoediam constituit, ut μετὰ τῆς εὐχῆς conveniat
furenti. Insaniæ Tragicæ Charini hisce re-
solutionibus restringuntur.

Merc. 2. 4. v. 4. Cur non morior?

Me toxico morti dabo.

Gerium est exulatum hinc ire me.

Postea paratus ad peregrinandum appa-
ret, & huic phantasiæ immerfus incepit
quasi raptus extra se enarrare loca, in qui-
bus successivè appulerit. Sed ubinam sunt
deliquia animi, aut sanguis, aut homici-
dia, aut mors, aut vulnera, aut arma, aut si-
milia requisita Tragoediæ? quæ multis vi-
cibus in suo Aristophane ostentantur.
Charinus Plauti etiam ad frigiditatem us-
que calet, quam vitare non potuit.

§. 3. v. 98.

————— Iam Cyprum veni.

Porro

Porro proficiscar quasitum. Nunc perveni
Chalcidem.

Video ibi hospitem Zazyntho, dico quod eò
advenerim.

Rogito, quis eam vexerit: quis habeat, si ibi
indauderit,

Hospes respondit, Zazyntho, fucus fieri non
malas.

Vides hominem tam tristem, ut festivus
esse quærat. Inprimis Poeta hic descri-
bit hominem amantem, & ob passionem
amatoriam quasi phreneticum. Mente cap-
ptos multa sæpè ab re loqui, nil mirum
est, multa etiam ridicula illos proferre
constat. Verus igitur character hominis
furiosi & amantis hic depingitur in per-
sonâ Charini. Qualis ridicula quoque
Ajacis fuit apud Sophoclem in Trag.
vers. 300. qui credens se vindicare ab ho-
stibus, trucidabat, suspendebat, & virgis
cædebat varia pecora. Similiter apud Eu-
ripidem in Hercule Fur. vers. 997. Alcides
manibus suis nunc hac, nunc illac percutit
rhedam sine equis cum risu a distantium si-

b) 3;

bi.

bi imaginatus, se aurigam esse, & equos
 agitare. Quæ diversa dicta & fa-
 cta ridicula in personâ Orlandi Eusiosi
 apud Ariostum propositum nostrum
 maximoperè confirmant. Ergò si Tra-
 gœdiæ, si Epopœæ ejusmodi vacilla-
 tiones, & phrenetica ex risu composita
 alij imitantur, Plautus ut Comicus erro-
 rem nullum in hoc casu, ubi Charinus vi-
 detur delirare, commisit: aut voluit Poëta
 hunc lepidum conceptum in stulti loquio
 amantis interponere, ut melancholiam
 spectatoribus è tristi materiâ subnascen-
 tem temperaret, aut hæ voces, *Zazyntho
 fieri non malas*, conceptum ridiculum non
 continebant, sed locutionem aliquam
 proverbialem, ut *Ficum Mercurio, Ficus ficus
 vocat*: cum aliis ejusmodi phrasibus vul-
 garibus, & omnibus nationibus usitatis.
 Ergò sententia, quæ absolutoria esse po-
 terat, non debet ut absolutè condemna-
 toria temerè pronounciari. *At divinus i-
 ste in hac parte duos amatores in Eunuchio
 more suo Phædriam & Chaream perfectè mo-
 ribus fingit.* Affectus amatorij in istis Ju-
 veni-

venibus Terentianis sunt languidi, ordinarij & tales, qui unicuique, idiotæ in mentem venire possent. Unde inventio eorum pathetica, sed admiranda non est, ut in Plauto illud artificium optimè discerni solet. Quâde re judicet velim quivis Criticus doctus, & ab omnibus affectibus alienus. Cum omnes, quos imitantur Poeta instar pictorum, Aristotele teste, aut similes, aut peiores, aut meliores quàm sunt, exprimant, meretrices verò partim similes, partim meliores introducit. Similes, ut Thaidem, meliores, ut Bacchidem. Parasitos verò semper deteriores, & varaciores Plautus, numquam meliores. Phormio Terentianus planè & admirandus, & in suo genere Gnatho. Plautini quia risum quarunt, veritatem & sermone, & sententiis emittunt. Tres virtutes enim sermo postulat moratus, aequitatem, simplicitatem, & veritatem, quæ quod unicuique est insitum, ob oculos ponit. Rêdiculum verò violentum est: quia corruptum est, & à corruptis causis movetur. Moratum, quin simile est naturæ, leniter delectat, cum imaginem vitæ, etatum singularum, ac naticum, cum stupore in scenâ videmus. Planè

ut pictura, qua à vero recedit, & cubitalem exprimit nasum, aut distortum os, risum movet: similis delectat. Illud autem omnes tribuunt Menandro, quem Terentius expressit.

Terentius introducit Sositam optimum moribus contra naturam fervorum Comitorum, & præter usum Comœdiæ Parmeno, Syrus, & Gata, sunt corruptores morum juvenilium, machinatores fraudum, authores gravium malorum: ac si sceleratissimis ipsorum inventionibus aliquid prosperè succedit, fortunæ id adscribendum est. Quis ergò sensus, quæ veritas apparet in illis verbis: *Terentius similes, nunquam meliores.* Simile absurdum deprehenditur in repræsentatione Meretricum, quæ bonæ factæ sunt, aut probæ, idque repugnante ipsarum naturâ, & contra usum fabularum dramaticarum: Immo contra ipsius Terentij dogma, qui in Prologo Eunuchi ejusmodi personis ex lege Comicæ artis hæcce nativas proprietates attribuit. Nimirum.

*Bonas matronas facere, meretrices malas.
Parasitum edacem, gloriosum militem.*

fallei

————— *falli per serum senem.*

En tibi ergò Terentium sibi & arti contrarium dum nec servos damnosa malitia, nec Parasitos voraci gulâ, nec meretrices lucrosâ nequitiâ insignit. Immò ut vitio pejus accidēs minori malo magis conforme est: sic prædictis personis vitiosis verisimilius adscribitur imitatio pejorum, quàm ut minus mali sint. Præterea homines quantò sunt ignobiliores, tantò magis virtus despiciatui habetur. Malæ personæ in Comœdiâ, quæ est *imitatio de-
serviorū*, sūt ignobiles, & servi, & parasiti, & meretrices sunt ignobiliores. Ergò multò magis vitij participes esse solent: multo que celerius concitare possunt ridiculam voluptatem, & fructum moralem. Quia quantò malitiosior & versatior est servus, & quantò magis parasitus omnia verba & opera sua refert ac reducit ad usum gulæ suæ, & quò magis meretrix sibi lucrum & usuram corporis sponder, eò ornatiores fit Comœdia, eò que attentiores, alacrioresque efficit spectatores. Nam si actio omnis Comica consuetam ratio-

nem agendi excedat. novitate sua multò fit
delectabilior. Etiam moralitas inde mul-
tò fit fructuosior, Homo quippe in ra-
ptu vitioso, infami & nocivo, quo alium
immodicè contra Religionem, contra
leges, contra genus humanum, contra ho-
norem, contra vitam ferocire videt, sa-
pientio rem se, prudentio rem & justio-
rem in consiliis & actionibus reddit. In
prædictis personis tã ridiculum nec vio-
lentum est, nec excessu peccant. Tum
quia Aristoteles post definitionem Co-
mœdiæ immediatè ponit subsequen-
tem mentionem Ridiculi, tanquam me-
dij maximè necessarij & idonei: tum
quia Populo, qui fabulæ Comicæ ob-
jectum extrinsecum est, gustus Ridicu-
li requisitus, desideratus, & gratissi-
mus esse solet. Quod si Aristoteles pro
partu legitimo Artis admittit. Tragœ-
dias, in totum fabulis confectis inni-
xas: quia *oblectans cunctos*, quâ de cau-
sâ quæso Comœdiæ Plautinæ ut inde-
centes reprobari poterunt? si per ridi-
culositatem suam tantopere Populum,
cujus

cujus gustui inservire debent, delectant. Quâ de causâ proavi Romani, quando *Plautinos laudavere sales*, demonstrabant, se non esse stultè miratos, sed Horatium potius *stultè* judicasse. Quando alioquin Heinsius lepores scenicos & licentiosos sub leges facetiarum Socraticarum, quas Plato & Xenophon imitati sunt, & Terentius secutus est, reducere vult, videtur ipse mihi id agere, ut Philosophiam in Comœdiam transformet. Urbanitas enim moderata in Philosophiâ laudatur à Philosopho lib. 4. Ethic. cap. 8. utpote in conversatione civili valdè honesta, Scurrilitas autem iis tribuitur, qui concitationem risus magis amant, quàm Cynosuram decori. Hi possunt esse Parasiti, servi, & similis alij qui adulari, & scurras agere student, ut gens ignara, vilis, & impudens: in cujus quidem observationis imitatione Plautus fuit Apelles quidam Comicus. Sed adhuc Heinsius se in frigiditatibus Plautinis con-

calēfacit. *Frigidum*, inquit, *fit multifariam* ::
vel in frigidā translatione, ut cū dentes calcea-
ti dicuntur in Capt. I. 2. v. 78. & cū victus
senteseitare, & scruposam viam commearē ibi-
dem dicitur. Proverbium Græcorum apud
Suidam in β'os notatur hoc, Vita spinosa ::
 locutione proverbiali, quæ etiam ad La-
 tinos transit. Unde senex Hegio hîc di-
 cit : *Mens scruposam victus commeat viam.*
 Sed quia Proverbia aliquando solent esse
 obscura, propterea quod ad litteram rema-
 inam denotant, & relativè postea aliam
 intendunt, atque ea propter illud idem
 infra quasi pro gossâ sui Proverbij repli-
 cat : *Asper meus victus sane est.* Parasitus su-
 per hoc dicto proverbiali, secundum u-
 sum proprium ejusmodi hominum, per
 jocum respondet in verbis istis : *sentesei-
 tas calceatis dentibus.* Quemadmodum infra
 dicente Hegione, *terrestris coena est*, subjun-
 git ipse, *sua terrestris bestia est.* Si hæ figure
 aut proverbiales, aut æquivocæ, aut allusi-
 væ reputari debent *frigide*, utique omnes
 Comœdiæ, quæ Græcæ quæ Latinæ o-
 mnia item sapophthegmata ab antiquis

prolata,

prolata, *fridilitatis* nomine malè audiunt:
 in culinâ Heinsianâ. Unum quodque i-
 dioma proprias agnoscit phrasas, & pro-
 verbiales nonnumquam, ut peregrinis &
 imperitis pro monstro sapè & prodigio
 esse soleant. Errorem ergò suum Batavus
 ille Criticus agnoscat, nec tam leviter o-
 bellum figat iis, quæ ipse non intelligit, ne
 in Chrylippi crimen incidat, qui natus in
 Sicilia legem nominum Græcorum ipsis
 Græcis dare volebat, cuius linguæ ipse i-
 gnarus erat. Unde Galenus de difficul.
 puls. lib. 2. cap. 10. hac ironiâ ipsum sub-
 sannat: *At quam queso ob rem? quòd terrâ
 natus scilicet sit Arius de Codri familiâ & E-
 nichthei. Ac qui siquidem illorum sit nepos, non
 adulteraret, quasi nummum aliquem antiquæ
 institutum vocis. Nunc vero (quod quis ferat?
 neque Athenis natus, aut educatus, sed ex Siliâ
 pridem adveniens, priusquam probè Græcam vo-
 cem didicerit ullam, Atheniensibus studeat legem
 nominibus ferre, pica: Sirenen imitans, ut picam
 non graculam dicamus, vel corvum, vel aliud
 quippiam, quem verius appellaveris hunc auda-
 cem hominem.* Talis fuit quoque Burdo

b. 7. ille

ille Scaliger, cujus audacissimam procacitatem in omnes viros doctos multi egregiè perstrinxerunt; & tali Epitaphio illi scitè parentavit nonnemo:

Dum fatagit scalas doctorum figere turba.

*SCALIGER, e scalis precipitatus
obit.*

Authoritas Horatij in hoc conflictu non tutabitur Heinsium. Ille quippe ad singularia Plauti in simplici loquutione non descendit, sed tanquam natus & enutritus Romæ, cognitum Romanis usurpat sermonem in scenâ. Quid igitur sibi vult Heinsius? aut quid Plauto exprobrat? *Qualia nec Scipio, inquit, nec Laelius flos nobilitatis Romane etiam in scenâ probare possent.* Igitur duo hi nobiles Romani, judicantes in Curia, non abhorruisse à faciis Plautinis, hinc constare potest. Nec cessat tamen irâ ferventissimus Heinsius frigiditatem Plautinam exsufflare his verbis Capt. 4. 4. v. 1.

Cui homini Dii sunt propitij, ei non esse iratos puto.

Et Stich. 1. 2. v. 63.

Emais

*E malis multis malum, quod minimum est,
id minimum est malum.*

Et Capt. Prol. v. 1. *Hos, quos videtis stare ca-
privos duos. Hi stant, non sedent.*

Huic discursui è contrariis se opposuit o-
lim magno iudicio præditus M. Ant. Mu-
retus in Var. lect. lib. 14. cap. 5. cuius sen-
tentia ego hoc addiderim: Plautum idio-
tismum horum sermonum non nisi jo-
candi gratiâ produxisse: utpote auditori-
bus gratissimum futurum. At tales qui-
dem sententias *ἐκ τῶν ἐναντίων* hodie no-
vimus esse Doctoris *Gratiani*, quibus con-
sentiunt Zanni, Pantaloni, & servi fatui,
atque ejus farinae ridiculi homines, qui o-
mnes eò respiciunt, ut ad risum & oble-
stationem alios suis sermonibus commo-
veant: num forte ex illis ad virtutem ali-
quam excitari possint. Tandem suas Buf-
fonitates ita absolvit D. Heinsius.

*Hæc pro viro maximo Horatio sint dicta: non
tamen contra PLAUTUM, quæ amamus suscipi-
mus diligimus, & sæpius ipso TERENCE legim⁹.
Verum ut iudicium acuamus, simul ut plebeij
quidam, ita facetissimum scriptorẽ ament, legant,
tractent,*

40 APOLOG. PRO M. ACC. PLAUT.
tractent, ediscant (quod & rectè & ordine faciunt, neq; enim satis commendari potest) ut nec omni ex parte veteribus probatum fuisse meminerint, & quod est precipuum de Horatio minus libere loquantur. Terentij autem miram venustatem intelligere paulatim discant: cuius incredibilis lepores, ut Iosephus Scaliger dicebat olim, vix centesimus Eruditorum quisque videt. Ego hoc ænigma non penero. PLAVTVM amamus, suscipimus, diligimus; sapius ipso TERENCE legimus neq; satis commendari non potest. Et interim distorto ac scævo suo iudicio ferviliter flagellat Plautum, ac Terentio postponit. Scilicet hic hominum mos est, admirari & legere eos Authores, qui virtute & famâ alios superant. Atque ita Plauto nostro idem accidit, quod Boncio illi de Rupalle, qui cum uxorem suam graviter fustigasset, postea capillos illi suos iterum blandè pectinavit.

FINIS APOLOGIÆ
PLAVTINÆ.

VIRI CLARISSIMI
DN. BALTHAS. VENATORIS,
JCTI
EPIGRAMMA,

In
VENERANDI SENIS,
Viri Incomparabilis,
DN. JOH. PHILIPPI PAREII
Novissimam Editionem

M. ACCI PLAUTI Sarsinatis
COMOED. XX.

De consilio & judicio JUSTI- JO-
SEPHI SCALIGERI. JULI CÆSARIS
à BURDEN FILII adornatam.

EX quo Mars aluit per funera mutua bellum,
Et Germana suo sanguine terra madet,
Consilium Artes, perierunt omnia pulchra:
Grajus in exilio est, Ansoniusque Lepos:
Rex salium PLAUTVS: quâ nunc sub nocte
quiescit,

Scena PAREANA sepe reculta manu?
Sola illa restat Iactator Fabula MILES,
Cujus splendidior sole Machæra nitet.
Exoculatque oculos radiosi luminis ictu.
Omnibus, ad spectat quos ferus ille ethalybs.

Ille,

Ille, inquam, MILES, turres qui frangit &
urbes.

Qui facili grandem pugna Elephanta necat.
Qui solus difflat legionum corpora rhombis,
Prae quo Mars posset trimulus esse puer.

Tali nunc passim barritu raditur auris:

De Musis penè est quilibet Harpocrates.

Vnus sustinuit nomen laudemque PAREVS,

Immoto retinens castra vetusta pede.

Nota Typographicis felix industria prelis:

Testis & Vbertas foetifica ingenij.

Qualia praestiterat quondam VARRONIS

acumen,


Miraclum antiqui temporis & Latij.

VARRON. Vale! nobis plus est, quam Varro,

PAREVS.

Anteit ille aro, sed prait hic meritis.


BALTHAS: VENATOR JC.
& Poeta.





17
33


93





















377
h, 13


ULB Halle 3
005 126 797



VD 17







2

APOLOGIA
PRO
M. ACCIO PLAUTO:

ET
CENSURA
CAVILLI HORATIANI.

*Opposita scevo Judicio Illustris
& incomparabilis Viri*

D. DANIELIS HEINSII
in Dissertatione de PLAUTO,
& TERENCE.

Authore

BENEDICTO FLORETTO:

*In Progymnasmatibus Poëticis: Italice e-
ditis Florentia, & in Linguam
Latinam translatis*

JANO PANELIO
Middelburgensi.



ANNO
M. DC. XLVII.

